This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

L
375

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

S. 375

Harvard College Library

FROM THE FUND OF

CHARLES MINOT

(Class of 1828).

Received 22 June, 1901.

DE SVBSTANTIVI EIQVE ATTRIBVTI APVD POETAS SATIRICOS COLLOCATIONE

PARTICVLAM I

AD RITE OBTINENDOS SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES SCRIPSIT AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADIDIT DEFENDETQVE VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DIE XIV MENSIS OCTOBRIS A. MDCCCLXXXVII HORA XII

MATTHIAS HEITZMANN
RHENANVS

ADVERSARII ERVNT

HVGO LOEWE
EVGENIUS ODER
GVILELMVS SCHWARZ

BONNAE
TYPIS EDVARDI NOLTE PHIL. DOCTORIS
MDCCCLXXXVII

L 375

HARVARD COLLEGE
JUN 22 1901
LIBRARY.

Minot fund

MATTHIAE LINNARTZ
AVVNCVLO CARISSIMO

Magna illa in verbis collocandis libertas cum inter notabiliores linguae Latinae proprietates semper habita sit et habeatur, haud mireris quod nostra aetate ex quo studia grammatica magis exerceri coepta sunt, verborum ordo scriptorum Latinorum saepe ac multis locis est quaesitus tractatus disputatus. atque unum potissimum attendentes non pauci ei operam navaverunt viri docti: illam dico quae ad animos alliciendos est aptissima substantivi eique attributi apud poetas collocationem. de qua habemus commentationes luculentas Dillenburgeri [1]) Voigtii [2]) Gebhardii [3]) Krafftii [4]) Fischii [5]) Kiaeri [6]) Eggersii [7]) Gebbingii [8]) Lautensachii [9]) Hansenii [10]) Streifingeri [11]) Boldtii [12]). sed qui has perscrutatur, eum fugere non potest viros illos fere omnes id solum sibi proposuisse ut de quibusdam generibus insolentioris et audacioris substantivi et attributi collocationis agerent et explicarent. qua

1) quaest. Horatianae. Bonnae 1841 pg. 133 sqq.

2) nugarum grammaticarum part. prima. Halis 1844.

3) de Tibulli Propertii Ovidii distichis quaest. elegiacarum specimen. Regimonti 1870.

4) de artibus quas Tibullus et Lygdamus in versibus concinnandis adhibuerunt. Halis 1874 pg. 11 sqq.

5) de Catulli in vocabulis collocandis arte quaest. selectae. Berol. 1875.

6) de sermone D. Iunii Iuvenalis. Hauniae 1875 pg. 18 sqq.

7) de ordine et figuris verborum quibus Horatius in carminibus usus est. Lovanii 1877. — hanc dissertationem adipisci non potui.

8) de Valerii Flacci tropis et figuris. Marburgi 1878 pg. 53 sqq.

9) analecta Horatiana grammatica. Stralesundiae 1878.

10) de tropis et figuris apud Tibullum. Kiliae 1881 pg. 38 sqq.

11) de syntaxi Tibulli. Wirceburgi 1882 pg. 38 sqq.

12) de liberiore linguae Graecae et Latinae collocatione verborum capita selecta. Gottingae 1884 pg. 78 sqq.

re quae disputaverunt quamquam minime sunt inutilia aut parvi momenti, tamen tantum abest ut ad totum dicendi genus vere cognoscendum idonea sint ut ne liberiorem quidem de quo agunt dicendi usum omnibus numeris absolvant: quod apparet fieri non posse nisi totius rei et extrema persequaris atque explanes et partes omnes inter se componas comparesque. itaque me non puto reprehensum iri qui illum poetarum Latinorum sermonem in earum rerum numero habeam de quibus etiam nunc quaerendum sit.

quae cum ita sint cumque nemo nisi hospes sive poetarum Latinorum sive in rebus grammaticis rem neget dignissimam esse disputatione in omnem partem diffusa, animum induxi in poetarum Latinorum usum ac rationem substantivi attributique collocandi penitus inquirere eaque plene exponere. sed non unius est poetas omnes tractare, immo satis exiguis finibus munus amplum circumdandum est. in eligendis autem poetis par esse puto poetas diversae aetatis sumi quo facultas detur explorandi utrum aliis temporibus alia fuerit collocationis via ac ratio necne. deinde maxime opera danda esse mihi videtur ne disputatione consocientur nisi eiusdem generis poetae, aut epici aut dramatici aut lyrici. summa enim illa lex quae in rebus grammaticis ubique severissime segregari iubet sermonem poetae epici a dramatico lyricoque, non impune neglegetur in verborum ordine ad quem et res et numeri maxime valeant. satiricos igitur poetas Lucilium Horatium Persium Iuvenalem tractandos mihi propono in quibus iam diutius versatus sum. sed in parva parte satirici poetae inter se metris discrepant. qua re ne misceamus atque turbemus quae distinguenda sunt, quaeram de iis quatenus eodem metro utuntur, Lucilii autem versus scaenicis numeris expressos et Persii prologum omittam [1]. praeterea Ennii hexametros — ad versus aliis metris compositos idem valet

1) comparatio ut instituatur, in particula altera commentationis asciscam cum haec tum alia quae iam exploravi (Tullianae poesis fragmenta Horatii epistulas partes selectas carminum Lucretii Catulli Vergilii Ovidii).

quod de Lucilio et Persio adnotavi — in quaestionem vocabo: primum quod ut artem collocationis progredientem cognoscamus definiamus, permagni is est momenti qui primus Latine versu heroo Musas citavit; deinde cum Ennii aeque ac Lucilii sola frustula tradita sint, Ennii ratione habita efficitur ut certius et verius iudicare possimus de Lucilii versibus quos ut rudera sunt male dilapsa, ipsos non liceat adhibere nisi caute [1]).

haec de poetis. in quibus pertemptandis quo modo rem nostram persequamur, iam exponam. qui adhuc in ea plus agitarunt (Gebhardius [2]) Fischius [3])), attributum spectaverunt universum neque distinxerunt attributum quod est adiectivum (*magnus Olympus*) ab eo quod est substantivum (*rex Codrus — patriae custos*), substantivum cum praepositione coniunctum (*tres a Deucalione grabati*), adverbium (*omnes circa populi*). sed quod fortasse iis lubenter conceditur qui generatim unum genus collocationis aggressi sunt, plane admitti non potest disputationi speciali. an nihil interesse credis si de substantivo duobus attributis ornato agimus, utrum adiectiva munere attributi fungantur an substantiva (genetivi)? verene nihil differt inter attributum adiectivi et attributum substantivi vel adverbii si quaerimus de attributo praemisso postposito, si de substantivo et attributo disiunctis distributis per unum pluresve versus? qua re attributorum genera singula censeo esse tractanda, singula tractabo. ac primum quidem illud quod est et amplissimum copiosissimumque et de quo cum nuper plane nova didicerimus [4]), quaestio

1) his editionibus usus sum: Ennianae poesis rel. rec. Ioannes Vahlen. Lipsiae 1854; Q. Enni carminum rel. emend. Lucianus Mueller. Petropoli 1884. — C. Lucilii sat. emend. Carolus Lachmannus. Berolini 1876; C. Lucili sat. rel. emend. Lucianus Mueller. Lipsiae 1872. — Horati opera rec. Otto Keller et Alfredus Holder. Lipsiae 1869. — A. Persii Flacci D. Iunii Iuvenalis sat. rec. Otto Jahn. Berolini 1868; editionem alteram a Francisco Buechelero curatam adhibui ex quo publici iuris facta est.

2) conf. pg. 5 adnot. 3.

3) conf. pg. 5 adnot. 5.

4) conf. Diet. Rhode, adiectivum quo ordine apud Caesarem et in Ciceronis orationibus coniunctum sit cum substantivo. Hamburgi 1884.

maxime tempestiva habetur, attributum adiectivi; cetera autem genera in aliud tempus reponam, tantum ubi res poscunt attingam. attributum vero adiectivi nolo ita intellegi ut sola adiectiva disputatione concludi putes, immo omnia quae poetae illi tamquam adiectiva usurpaverunt, respiciam [1]): substantiva [2]) participia pronomina.

---

1) nescio an quis opponat me cum instituto meo ipsum pugnare qui quamquam modo dixi genera attributorum seorsum ac singula tractanda esse, hic genera adiectivi attributivi confundam. sed hac sola parte disputationis qua generatim collocandi modos exponimus (conf. pg. 14sq.), mihi in animo est hanc rationem inire; ubi singula persequemur, distinguemus adiectiva (numeralia) pronomina participia substantiva.

2) haud alienum mihi videtur substantiva a poetis in numero adiectivorum habita hoc loco omnia afferre; moneo autem in talibus substantivis me non ponere 'iuvenis' 'senex' (Pers. 6 5. — Enn. epigr. I 1V test. XLVII M; Lucil. 174L V 43M, 347L XI 16M; Hor. I 10 40sq., II 2 67, I 10 67; Iuv. 6 160, 8 152sq., 6 214sq.).

Ennius: ann. 70V 58M *lupus femina feta*, 73V 59M *lupus femina*; locus dubius est ann. v. 203sq.V 199sq.M: *vosne velit an me regnare era quidve ferat Fors, Virtute experiamur*; Georges (s. v. 'hera' lex. edit. VII.) vertit: *das waltende Schicksal*; sed cum Riesio (Ged. des Catullus. Leipz. 1884) ad Catulli c. 64 v. 394 *era* interpretor *dea*, conf. Ovid. fast. 6 775: *dea Fors.* in ann. v. 423sq.V 488sq.M *spiritus austri Imbricitor* 'imbricitor' habeo appositum.

Lucilius: 83L III 9M *rhinoceros ... Aethiopus.*

Horatius: I 4 49 *meretrice ... amica*, II 8 26 *indice ... digito*; II 3 36 *a Fabricio ... ponte*; I 2 117 *ancilla aut verna ... puer*, 'verna' puto adiectivum quod spectet ad 'ancilla' et 'puer'; I 8 29 *manes ... animas* est locus dubius.

Persius: 5 30 *custos ... purpura*, 5 40 *artificem ... vultum*, 6 74 *popa venter*, 3 26 *cultrix foci ... patella*; 1 129 *Italo ... honore*, 6 6 *Ligus ora*, 6 44 *Germanae pubis*; 5 54 *mercibus ... Italis.*

Iuvenalis (cuius exempla ex parte iam congessit Weise, vindiciae Iuvenalianae. Halis 1884 pg. 55): 1 50 *victrix provincia*, 15 81 *victrix turba*; 2 73 *populus modo victor*, 2 162 *populi ... victoris*; 4 62 *miratrix turba*, 5 21 *tota salutatrix ... turba*, 13 80 *venatricis ... puellae*, 6 26 *a tonsore magistro* (vide infra de h. l.), 6 40 *captatore macello*, 10 238 *artificis ... oris.* — 1 61 *puer Automedon*, 10 195 *iam mater simia*; 3 110 *filia virgo.* — 3 33 *domina ... sub hasta*, 4 33 *municipes ... siluros*, 6 63 *chironomon Ledam*, 7 212 *citharoedi ... magistri*, 8 191 *planipedes ... Fabios*, 14 9 *nebulone parente*, 7 107 *comites ... libelli*; 9 10 *vernam equitem* (cum Heinrichio, aliter Weidner), 8 149 *sidera testes*,

in pronominibus autem relativis quaestio exoritur quid statuendum sit de sententiis qualis est Horatii II 2 86 sq. *tibi quidnam accedet ad istam Quam puer et validus praesumis mollitiem* vel Iuvenalis 3 257 sq. *si procubuit qui saxa Ligustica portat Axis*; substantivum quo enuntiatum relativum consistit, utrum pars sit sententiae relativae ita ut pr. relativum sit adiectivum attributivum, an revocandum ad sententiam primariam? sunt qui pr. relativum pro adiectivo attributivo habeant quod adhaereat substantivo velut Paetzoltius [1]) (conf. etiam G.

---

8 261 sq. *tyrannis Exulibus.* — 14 271 *municipes Iovis ... lagonas*, 8 51 sq. *Batavi Custodes aquilas*, 10 144 *saxis cinerum custodibus*, 14 81 sq. *famulae Iovis et generosae ... Aves.* — 11 94 *in Oceano fluctu* (conf. cod.), 10 155 *Poeno milite*, 6 585 *Phryx augur*, 7 15 *Cappadoces .. equites*, 8 160 *Syrophoenix incola*; 7 214 *Ciceronem Allobroga*, 15 23 *populum Phaeaca*, 9 30 *textoris .. Galli*, 4 99 s. *ursos .. Numidas.* — substantivum alterum esse appositum, non locum adiectivi tenere puto statuendum esse his locis quibus poetae satirici festivitatem deprendimus verissimam: 6 118 *meretrix Augusta* (Kaiserin Dirne), 8 148 (quod Buecheler Iuvenali reddidit) *mulio consul* (Consul Kutscher), 15 22 *cum remigibus ... porcis* (Ruderer Schweine); 9 61 *collusore catello* (Spielkamerad Huendchen), 14 247 *leo .. alumnus* (Zoegling Loewe — non recte interpretatus est locum Weidner: tota sententia in comparationem vocatur, non illud *magno fremitu).*

de loco supra allato 6 26 *a tonsore magistro* haec addo. ut 7 212 *citharoedi ... magistri* significat 'citharam docentis magistri' ita a *tonsore magistro* idem est quod 'ab artem tonsoriam docente magistro': Postumus ob diem festum non adit quem solet tonsorem, sed doctorem artis tonsoriae. conf. Quint. XII 2 12 *palaestrici doctores*, XI 3 71; Iuv. 11 137 *Trypheri doctoris* (scissorum) (5 122 *dictata magistri*). tales magistros Romae fuisse docent loci quos de tonsoribus agens affert Marquardtius (D. Privatleben d. Roemer. Leipz. 1879 p. II pg. 587 adn. 1): Petron. 94 fin. *rudis novacula et in hoc retusa ut pueris discentibus audaciam tonsoris daret* (conf. Iuv. 11 137 sqq. *apud [Trypherum doctorem] lepus atque aper ... hebeti ... ferro caeditur* et q. s.); dig. XXXII 1 65 § 3 de ornatricibus *quae duos tantum menses apud magistrum* fuerunt. — Weidner *magistro* putat pro 'artifice' esse positum cui voci insit vis adjectivi *(kunstfertig)*; num *magister* id valere possit, licet dubitare; certe quam vim Weidner voci subicit, nimis ampla est et vulgaris quam quae conveniat loco nostro. ceterum conf. etiam Heinrichium ad h. l.

1) Beitr. z. hist. Syntax d. Lat. Sprache. Waldenburg 1875 pg. V. — vir hic doctus quem auctorem secuntur Draeger (hist. Synt. d. Lat.

T. A. Krueger, Unters. aus d. Geb. d. Lat. Spr. vol. III: d. Attraction in d. Lat. Spr. Braunschweig 1827 pg. 183 sqq.). sed non pauci extant loci quibus evincitur substantivum cum

---

Sprache. Leipz. 1878 ed. II. vol. II. pg. 499 sqq.) et Schmalzius (in Muelleri Handbch. d. klass. Altert.-Wiss. Nördlingen 1885 vol. II. pg. 333) quae de pr. relativo eiusque attractione disputavit ibid. a pg. IV ad pg. VIII, magnam mihi movent dubitationem. censet enim in prisco sermone Latino contra posterioris temporis morem sententias relativas ita conformari esse solitas ut enuntiatum relativum antecederet sententiae demonstrativae, substantivum autem ad quod spectaret sententia relativa, pronomini et relativo et demonstrativo adderetur velut in lege Acilia repet. (CIL I 198 39) *quam rem praetor ex h. l. egerit, si eam rem proferet.* qua in dictione pr. relativa et pr. demonstrativa non tam pronomina fuisse quam adiectiva quae indicaverint inter duas sententias rationem intercedentem: hunc enuntiatorum ordinem qui similis sit interrogationis et responsi, probare videri pr. relativum linguae Latinae natum esse e pr. interrogativo (conf. pg. IV); ex hac autem quam genuinam dicit structura sententiarum relativarum deducendas esse cum omnes illas quas in sermone posteriore deprendimus tum eam quam vulgo dicunt attractionem quamque exortam esse putat notione demonstrativa tota aut ex parte omissa (conf. pg. V sqq.). formam primam e. g. locorum quos attuli supra pg. 9 fuisse: *tibi quidnam accedet ad istam* mollitiem *quam ... praesumis mollitiem* et *si procubuit* is axis *qui saxa Ligustica portat axis.* horum quae disputat Paetzoltius argumento esse voluit sermonem inscriptionum antiquissimarum. — valde vereor ne non satis respexerit quas in animo habet inscriptiones esse leges: harum proprium equidem opinor esse quod priscae Latinitatis ille putavit commune ac vulgare. idque constat de ordine sententiarum; nam idem ordo qui est inscriptionibus Romanorum, in Graecorum quoque legibus invenitur (conf. initium legis Gortyniae ὅς κ' ἐλευθέροι ... μέλλει ἀνπιμολε̃ν, πρὸ δίκας μὲ ἄγεν, ibid. saepius; Dittenberger syll. inscript. Graec. 344 65 sq. ὅσοι ... τούτοις; 72 sqq. ὅσοι ... τούτοις alia) neque nostrarum legum sermone aliena res est: leges scribentium mos est ut priusquam poenam constituant, rem de qua statuunt enuntiato relativo vel condicionali circumscribant praemittantque tamquam ut magis sit conspicua. hunc ergo inscriptionum sermonem qui est legum, a quo priscos scriptores discedere Paetzoltius ipse commemorat — et ut hoc addam, permultos locos inscriptionum ipsarum (vide proxima) — non licet dici totius esse priscae Latinitatis neque ex eo de pr. relativi natura id repeti quod voluit Paetzoltius: immo ut probemus affinitatem pr. relativi et pr. indefiniti, iure eum appellare possumus, id quod ille

pr. relativo non esse coniungendum, immo poetam totum enuntiatum relativum quasi unum attributum addidisse substantivo, quod sane e natura sententiae relativae facillume admitti potuit.

---

ipse sensit (conf. pg. VI). idem quam premit, repetitio substantivi itidem natura legum contineri mihi videtur: quod legis scriptor maxime operam dat ut ambiguitatem qualemcunque evitet. omitto quod scriptor legis quasi cogitur quam rem enuntiato relativo praemisso nominat ne verba difficilia sint ad intellegendum, eandem rem iterum appellare in sententia demonstrativa quae sequitur: alia ipsae habent inscriptiones quibus apte demonstretur quod contendi. observare licet non ubique scriptorem legis substantiva iterare, sed certa quadam ratione: solet enim iterare nomina rerum quibus pondus inest velut de quibus constituitur; substantiva vero non solum pronomini et relativo et demonstrativo addit, sed — id quod minime neglegendum est — ubicunque res de qua agitur occurrit, nomen eius una cum pr. demonstrativo affert velut in lege agraria (CIL I 200 27) *quei ager ex priva[to in publicum commutatus est . .] . . de eo agro siremps lex esto, quansei is ager P. Mucio L. C[alpurnio cos. publicus fuerit]*; conf. legis Iuliae municip. cap. X (ibidem 206), similia saepissime. non iterat scriptor legis nomen rei subsicivae (ut magistratuum qui rem agunt, legum vel plebiscitorum quae memorantur, alia), sed satis habet substantivum addito vel omisso pr. demonstrativo semel posuisse in sententia demonstrativa quae praecedit. (egregie errat Paetzoltius qui hunc quem dicit posterioris temporis usum pr. relativi rarissime in inscriptionibus inveniri affirmat pg. V). itaque in lege Acilia repet. habemus ter (12, 62, 68; conf. 61) *in diebus* n. *proxumeis quibus*, 21 *ex eo die quo*, 66 *ex ea die qua*, sed 63 in eo capite cui inscriptum est '[de tempore stat]uto servando' (Brunsium [font. iur. Rom.4] secutus sum; Mommsenus legit '[de tribu]to servando') *ubei ea dies venerit quo die iusei erunt adesse* et q. s. — haec quae protuli mihi satis momenti esse videntur ut illam substantivi repetitionem effectam esse iudicem ratione legum. optumeque convenit quod exempla huius sermonis vix inveniuntur apud priscos scriptores, ad quos contra Paetzoltium non refero auctorem ad Herennium. quinque tantum ille habet locos (pg. V): Plaut. Mil. 140, Cas. 154; Terent. Ad. 854; Cato r. r. 136, 148. sed quae Cato l. m. profert, iudicialia sunt; ex Plauti exemplis alterum (Cas. 154) plane non quadrat, alterum (Mil. 140) male. exempla vero quae eodem pg. V attulit substantivi iterati, omissi pr. demonstrativi ut Plaut. Merc. 100 *advenit mulier qua muliere alia nullast pulcrior* partim (Plaut. Trin. 305, Rud. 1237; Terent. Heaut. 20, Phorm. 32; — Enn. Alxdr. frg. 9 Ribb. trag. 92 sq. V fab. 35 sq. M) eodem modo explicanda sunt quo Ennii locum

inter tales locos pono Horat. II 7 105 sq. *qui tu impunitior illa Quae parvo sumi nequeunt obsonia captas?* ubi non licet a *captas* verbo divellere *obsonia* obiectum idque ita fit sententiae primariae; similes sunt versus Hor. II 8 75, Iuv. 5 86 sq., 14 187 sq. — Plaut. Rud. 938 (ed. Fleckeisen.) *dum hanc tibi quam trahis rudentem conplico.* differentia quae inter casus pronominis et substantivi intercedit, rem prodit his locis: Hor. II 2 27 sq. *num vesceris ista Quam laudas pluma?* Plaut. Mil. 155; Terent. Eun. 423; (conf. Iuv. 3 159 *sic libitum [est] vano qui nos distinxit Othoni,* 6 354). — Iuv. 12 67 sq. *cucurrit Vestibus extentis et quod superaverat unum, Velo prora suo*; Plaut. Pseud. 108, Rud. 965; Ovid. met. XIII 915. omnis

---

hic memoratum ipse pg. XVII interpretatus est i. e. in his pr. relativum pro pr. demonstrativo positum est. — saepius iterationem substantivi occurrere constat apud scriptores posterioris temporis (auct. ad Her. Cic. Caes. alios, inprimis iuris consultos — conf. Schmalz. l. l. pg. 335); quorum dicendi usum ut cum aliis (velut Haasio apud Reisigium, Vorles. ueber lat. Sprachw. adn. 612) ex sermone forensi petitum putem, duae res me movent: quod maximam partem voces legibus tritas (res dies loca alia) ibi deprendimus; tum gravior haec quod scriptores substantiva et pronomina continua ponere solent, non eadem qua consueverunt libertate in illis collocandis utuntur, ut structura plane sapiat formulas iuris consultorum: inter plurima exempla quae affert Draeger l. m. vol. II pg. 500 sq. unum tantum extat liberioris collocationis (Cic. in Verr. 2 74 *ex eo genere quod ego maxime genus ...*). atque illa res prorsus repugnat Paetzoltii argumentationi, nam si attractio pr. relativi quae dicitur, ex hac structura per ellipsin esset profecta, iure optumo exspectares ut saepius in huius modi sententiis relativis eundem liberiorem positum substantivi et pr. relativi inveniremus quem creberrime in attractionis idiomate iam apud priscos scriptores apparere omnes sciunt.

haec sunt quae contra priorem partem disputationis Paetzoltii monenda habeo. valde doleo quod non totum pr. relativi usum priscae Latinitatis accuratissime circumscriptum protulit; nam solum omnibus locis collectis omnique parte expensis diiudicare licet utrum omnia illa quibus attractionis nomen datur, orta sint ipsa attractione, quam esse in sermone Latino credo, an quod mihi veri similius videtur, plures huius dicendi generis agnoscendae sint causae.

autem dubitatio si qua superest, tollitur Horatii verbis I 4 130 sq. *mediocribus et quis Ignoscas vitiis teneor:* sententia relativa eodem numero posita est quo adiectivum attributivum cum quo particula copulativa eam colligat. neque alio quam usu ac vi attributiva nititur structura illa in qua sententia relativa aeque atque alia attributa vocibus interpositis a substantivo suo disiungatur ante idque collocetur e. g. Iuv. 11 78 sqq. *Curius parvo quae legerat horto Ipse focis brevibus ponebat holuscula,* 13 19, 15 97, 16 49; 6 547, 8 134; Hor. II 3 252; Pers. 1 24; Plaut. Rud. 963, Pseud. 1224; Terent. Eun. 695; Propert. III 8 42, IV 16 9 (ed. Mueller.); Ovid. met. XI 574 sq., VII 174 sq.

quae cum ita sint sat multa argumentorum momenta extant ut locis a quibus orsi sumus neges pronomen relativum esse adiectivum. itaque huius modi exempla disputatione non respiciam, sed ut etiam dissentientibus satisfaciam, huc confero:

pr. demonstrativum additum est *(ad istam quam — praesumis mollitiem)*: Enn. — Lucil. — Hor. II 2 86, 7 105, I 9 48 sq., Pers. — Iuv.[1] 5 86 sq., 6 358 sq.

pr. demonstrativum omissum est *(procubuit qui saxa Ligustica portat Axis)*: Enn. ann 152 V 153 M, 177 V 175 M, 193 M (198 V; l. d.); Lucil. —[2] (conf. 808 sq. L XXVII 18 sq. M); Hor. I 1 87, 5 46[3], 4 130, II 8 75; Pers. 5 51 (conf. 1 94); Iuv. 3 55, 3 257 sq., 4 111 sq., 5 81, 8 252, 10 272, 3 267, 7 243, 13 94, 3 83.

haec de adiectivis et nominibus quae in eodem loco ponam cum adiectivis. restat ut tangam ipsum inquirendi modum. utrum poetas tamquam pedestres scriptores tractemus

---

1) exempla Iuvenaliana affert Kiaer l. m. pg. 39 sq., a quo et numerus exemplorum et interpretatio mea discrepat.

2) Dubius est versus 983 L XXX 131 M *quis totum scis corpus iam perolesse bisulcis*; *quis* nescio an sit dativus, *bisulcis* potest esse ablativus causae.

3) in versu qui antecedit: *proxuma Campano ponti quae villula, praebuit Tectum* ordo verborum iubet attractionem pr. relativi agnosci.

et neglectis versuum finibus tantum per enuntiata collocationem verborum examinemus an omissis enuntiatis inquisitionem habeamus ex ratione versuum? exploratum mihi videtur hunc modum esse veriorem; nam si illum amplecteremur, versus quales sunt Iuv. 12 64 sq. *Parcae meliora benigna Pensa manu ducunt* et 6 636 *grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu*, 10 188 *(da spatium vitae,) multos da Iuppiter annos* et 1 151 sqq. *unde illa priorum Scribendi quodcumque animo flagrante liberet Simplicitas?* pares et similes diceremus ad collocationem substantivorum et adiectivorum. at quis est qui non sentiat aliquid interesse utrum fine versus poeta adiectiva a substantivis divellat an uno illa versu includat? a versu igitur in perscrutando verborum ordine proficiscar.

iam duae patent viae, altera haec ut verborum positum indagans per singulos versus neglegas quibus versus pedibus vocabula inveniantur; altera ut sola respiciatur metri ratio pedumque. illam viam qui adhuc de re nostra disputaverunt, inierunt omnes, hanc ex industria nemo [1]. sed neutra per se omni modo sufficit. nam si id tantum curamus quos pedes verba teneant, plane obscurantur varii illi substantivorum adiectivorumque nexus quos multi satis dignos putaverunt qui ipsi tractarentur; neglecta autem ratione metri manifestum est inchoari quaestionem nec vero absolvi. immo ut totam atque veram enucleemus de qua agitur consuetudinem poetarum, elucet et hoc et illud quaerendi genus admittendum esse. ambo igitur admisi iisque volui nostram commentationem contineri.

omnia quae debebam praefatus ad rem ipsam accedo. quam ita agam ut priusquam de singulis disputem, duobus capitibus totum hunc sermonem qualis appareat apud poetas

---

1) tetigerunt rem Kiaer (l. m. pg. 34 sq.) Birtius (ad historiam hexametri Latini symbola. Bonnae 1876 pg. 50 sq.) Boldtius (l. m. pg. 79 sq.). ceterum vim caesurae in verbis collocandis omnes nisi fallor respexerunt qui de artificiosa collocatione binorum substantivorum et attributorum egerunt.

illos enarrem exemplisque illustrem. ac priore quidem capite non curabo quibus locis versuum substantiva et adiectiva legantur, altero solam sequar rationem metri. quo facto fundamentis positis facilius procedet disputatio ad cetera [1]).

CAPUT PRIMUM

Multi sunt ac varii modi rationesque nexus et collocationis substantivorum eaque comitantium adiectivorum. substantivum coniungitur uni duobus pluribus adiectivis aut adiectivum uni duobus compluribus substantivis; substantivum si cui uni unum adhaeret adiectivum — ut de hoc tantum dicam — adiectivo anteponitur aut adiectivum substantivo; substantivum et adiectivum continuantur aut disiunguntur; per unum versum distribuuntur aut per duos qui vel inter se excipiunt vel quibus tertius versus interpositus est. similiter poeta bina plura substantiva cum singulis adiectivis aut bina plura adiectiva cum singulis substantivis conectit, nisi quod copulationes sic dantur multo plures. ergo permulta vides nexus positusque genera quae singula necesse est tractari deinceps. ac primum quidem mihi in animo est agere de uno substantivo ducente unum adiectivum, deinde de substantivo cui plura adiectiva, tum de adiectivo cui plura coniuncta sunt substantiva. et primum proferam ordines substantivorum et adiectivorum quae unus complectatur versus, deinde quae per duos versus continuos, tum quae per duos versus tertio interposito sint distributa.

notis verborum uti mihi concedas ne usque quaque eadem repetam:

a A *a* *A* indicat adiectivum, s S *s* *S* substantivum. adiectiva et substantiva cohaerentia litteris eiusdem formae denotantur (as AS *as* *AS*) idque eodem quo leguntur ordine. ut rem

1) ad finem perducam disputationem particula altera.

exemplo expediam, Iuv. 14 269 *perditus ac vilis sacci mercator olentis* his litteris et figura circumscribitur a a S s A.

$\overline{\mathrm{as}}$ $\overline{\mathrm{sa}}$ $\overline{\mathrm{AS}}$ sim.	indicat adiectivum et substantivum inter se continuari,
a-s s-a A-S sim.	adiectivum et substantivum uno vel pluribus verbis interpositis separari,
a|s s|a A|S sim.	adiectivum et substantivum per duos versus continuos disposita fine versus seiungi,
a||s s||a A||S sim.	adiectivum et substantivum per duos versus tertio interposito distributa esse.

numerus quem notis priorem adscriptum videbis, indicat quoties figura de qua agitur omnino extet apud poetam; alter autem numerus (uncis inclusus) docet in quotenis poetae versibus figura semel inveniatur, velut: $\overline{\mathrm{as}}$ Iuv. 483 (7,94): $\overline{\mathrm{as}}$ figura apud Iuvenalem omnino reperitur quadringenties octogies ter, semel in versibus prope octonis (7,94).

proficiscendum est ab ea quam naturalem vocamus collocationem qua substantivum et adiectivum inter se excipiunt velut *pater optime.* quae quam late pateat apud poetas, hi docent numeri [1]):

$\overline{\mathrm{as}}$ vel $\overline{\mathrm{sa}}$

Enn. 187 (2,92) [2]) Lucil. 143 (5,28) Hor. 384 (5,5) Pers. 144 (4,51) Iuv. 695 (5,52).

---

1) non comprehenduntur numeris $\overline{\mathrm{as}}$ $\overline{\mathrm{sa}}$ et a-s s-a figurarum ea substantiva adiectivaque quae cum altero substantivo adiectivoque per duos versus distributis ita conexuerit poëta ut artificiosa existeret verborum collocatio velut Iuv. 14 163 sq. *tandem pro multis vix iugera bina dabantur Vulneribus* aut Hor. I 3 132 sq. *sapiens operis sic optumus omnis Est opifex:* artificiosum nexum apparet non licere divelli nec solam partem inferri in rationes.

2) hexametrorum numerus (vario modo subductus) Ennii (ann. ceterorum carminum) est 546, Lucilii 756. Horatii saturae habent 2113 versus, Persii 650, Iuvenalis 3837. conf. adn. alt. ad a|s vel s|a. — partes numerorum non addo nisi quid habent momenti.

utriusque figurae modus atque usus ex his cognoscitur:

$\overline{\text{as}}$ Enn. ann. 288 V 315 M *densantur campis horrentia tela virorum.* Enn. 93 (5,87) Lucil. 73 (10,35) Hor. 237 (8,91) Pers. 99 (6,56) Iuv. 483 (7,94).

$\overline{\text{sa}}$ Lucil. 133 L III 59 M *Tantalus qui poenas ob facta nefantia pendit.* Enn. 94 (5,81) Lucil. 70 (10,8) Hor. 147 (14,37) Pers. 45 (14,44) Iuv. 212 (18,1).

liberiorem poetae adhibent ordinem, si substantivum et adiectivum uno vel pluribus vocabulis interpositis separant. moneo autem me huc non referre locos quibus verbum aut verba interiecta tam arte cohaereant cum substantivo aut cum adiectivo, ut cum illo unam efficiant notionem velut *clarus genere atque opibus vir*; quibus in exemplis cum substantiva et adiectiva sensu continuentur, ea omnia $\overline{\text{as}}$ vel $\overline{\text{sa}}$ figuris adscripsi. in eodem numero habui substantiva et adiectiva quae praepositionem a qua pendent, includant ut *cernebant magnis de rebus agentes*; nam ut Quint. I 5 27 testatur, praepositio cum substantivo (et adiectivo) tamquam in unum coalescit.

a-s vel **s-a**

Enn. 64 (8,53) Lucil. 94 (8,04) Hor. 357 (5,92) Pers. 145 (4,21) Iuv. 765 (5,02).

a-s Hor. I 10 35 *magnas Graecorum malis implere catervas.* Enn. 49 (11,14) Lucil. 48 (15,75) Hor. 273 (7,74) Pers. 121 (5,37) Iuv. 655 (5,86).

s-a Enn. ann. 371 V 404 M *isque Hellesponto pontem contendit in alto*[1]. Enn. 15 (36,4) Lucil. 46 (16,43) Hor. 84 (25,15) Pers. 24 (27,08) Iuv. 110 (34,88).

---

1) errat Schmalzius l. m. pg. 389 qui Vergilii et posteriorum scriptorum esse dicit ut inter substantivum quod praecedat et adiectivum intericiant praepositionem (Hellesponto .. in alto); conf. praeter locum allatum Ennii ann. versus 193 V 188 M *arbusta per alta*, 370 V 407 M *aetate in agunda*, 602 V 562 M *aequore in alto*, 604 V 467 M *crateris ex auratis*; l. d. 603 M (inc. 12 V). — Lucil. 414 L XV 9 M *signis ... in ahenis*, 161 L V 7 M *tristitia in summa*, 577 L XXVI 81 M *aggere in iaciundo.* conf. Neue, Formenlehre d. Lat. Sprache II² pg. 790.

explanavi quo modo poetae unum substantivum adiectivumque in versu collocaverint; nunc consideremus eorum consuetudinem bina substantiva et adiectiva distribuentium per singulos versus. tria in summa occurrunt collocandi genera: aut utrumque substantivum adiectivumque separatim ponitur: as AS *hunc Macrine diem numera meliore lapillo*; aut alterum substantivum adiectivumque ab altero includitur: a A S s *servavit trepidam flagranti ex aede Minervam*; aut inter alterum substantivum et adiectivum intericitur vel solum alterum substantivum vel solum alterum adiectivum: a A s S *effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.* unum quodque ex his collocandi generibus quorum primum vocamus simplex, alterum tertiumque artificiosum, ipsum patet habere quattuor partes; nam ut primo genere utar in exemplo, adiectiva aut ante aut post substantiva sua collocantur (as AS, sa SA), aut adiectivum priori substantivo praemittitur, alteri postponitur (as SA), aut priori postponitur, alteri praecedit (sa AS). cetera genera cum similiter se habeant, efficitur ut poeta duodecim omnino copulationes diversas binorum substantivorum adiectivorumque possit admittere. qua ratione poetae singula genera eorumque partes adhibuerint, ex his intellegitur.

as AS similia [1])

utrumque substantivum et adiectivum seorsum ponitur:

Enn. 39 (14) Lucil. 35 (21,6) Hor. 83 (25,46) Pers. 51 (12,75) Iuv. 213 (18,01).

as AS adiectiva substantivis praemittuntur: Pers. 3 1 *hunc Macrine diem numera meliore lapillo.* Enn. 11 (50) Lucil. 10 (76) Hor. 30 (70) Pers. 25 (26) Iuv. 91 (42).

---

1) inter exempla harum figurarum sunt quorum substantiva adiectivaque non eadem sententia contineantur, sed singulae partes sint diversorum enuntiatorum velut Enn. 273V 277M *spernitur orator bonus, horridus miles amatur.* eius modi locos post in contentione facienda necesse est neglegi, si hunc simplicem ordinem ex vero comparari volumus cum duobus illis artificiosis.

quo modo in hoc genere poetae utrumque substantivum et adiectivum continuaverint aut disiunxerint, hi numeri edunt:

$\overline{as}$ $\overline{AS}$	Enn. 8[1]	Lucil. 8	Hor. 15	Pers. 13	Iuv. 40
a-s A-S	„ —	„ —	„ —	„ 1	„ 5
$\overline{as}$ A-S	„ 2	„ 2	„ 11	„ 8	„ 32
a-s $\overline{AS}$	„ 1	„ —	„ 4	„ 3	„ 14

sa SA adiectiva substantivis postposita sunt: Iuv. 10 356 *orandum est ut sit mens sana in corpore sano.* Enn. 6 (91) Lucil. 8 (94) Hor. 13 (163) Pers. 5 (130) Iuv. 28 (137).

$\overline{sa}$ $\overline{SA}$	Enn. 4	Lucil. 4	Hor. 8	Pers. 4	Iuv. 22
s-a S-A	„ —	„ —	„ —	„ —	„ —
$\overline{sa}$ S-A	„ 1	„ 1	„ 3	„ —	„ 3
s-a $\overline{SA}$	„ 1	„ 3	„ 2	„ 1	„ 3

as SA adiectivum priori substantivo praecedit, alteri postponitur: Enn. ann. 153 V 157 M *hac noctu filo pendebit Etruria tota.* Enn. 14 (39) Lucil. 9 (84) Hor. 18 (117) Pers. 8 (81) Iuv. 54 (71).

$\overline{as}$ $\overline{SA}$	Enn. 10	Lucil. 6	Hor. 9	Pers. 3	Iuv. 34
a-s S-A	„ —	„ —	„ 1	„ 1	„ 4
$\overline{as}$ S-A	„ 2	„ 1	„ 6	„ 3	„ 7
a-s $\overline{SA}$	„ 2	„ 2	„ 2	„ 1	„ 9

sa AS adiectivum priori substantivo postponitur, alteri praemittitur: Lucil. 1163 L inc. 150 M *concilio antiquo sapiens vir solus fuisti.* Enn. 8 (68) Lucil. 8 (94) Hor. 22 (96) Pers. 13 (50) Iuv. 40 (96).

$\overline{sa}$ $\overline{AS}$	Enn. 6	Lucil. 4	Hor. 13	Pers. 6	Iuv. 20
s-a A-S	„ 1	„ —	„ 1	„ 3	„ 2
$\overline{sa}$ A-S	„ 1	„ 4	„ 6	„ 4	„ 16
s-a $\overline{AS}$	„ —	„ —	„ 2	„ —	„ 2

a AS s similia

alterum substantivum adiectivumque ab altero includitur:

Enn. 6 (91) Lucil. 4 (189) Hor. 29 (73) Pers. 19 (34,21) Iuv. 126 (30,45).

---

1) acquiesco in exemplorum numeris afferendis qui sat doceant id quod debent.

a AS s — adiectiva substantivis praemittuntur: Hor. II 5 41 *Furius hibernas cana nive conspuet Alpis.* Enn. 1 [1]) (546) Lucil. — [2]) Hor. 19 (111) Pers. 14 (46,43) Iuv. 86 (44,62).

a $\overline{AS}$ s	Enn. 1	Lucil. —	Hor. 16	Pers. 10	Iuv. 81
a A-S s	„ —	„ —	„ 3	„ 4	„ 5

Enn. ann. 311V 358M [1]).

s SA a — adiectiva postponuntur substantivis: Iuv. 8 44 *vos humiles, inquis, volgi pars ultima nostri (estis).* Enn. 3 (182) Lucil. 1 (756) Hor. 1 (2113) Pers. 1 (650) Iuv. 3 (1279).

s $\overline{SA}$ a	Enn. 3	Lucil. 1	Hor. 1	Pers. 1	Iuv. 3
s S-A a	„ —	„ —	„ —	„ —	„ —

Enn. ann. 162V 162M, 30V 67M, 343V 372M [3]) — Lucil. 35L I 28M — Hor. II 2 40 — Pers. 1 103 — Iuv. 2 112, 8 44, 14 208.

a SA s — substantivo quod cum adiectivo suo interponitur, adiectivum postponitur, alteri praecedit: Pers. 3 6 *patula pecus omne sub ulmo est.* Enn. 2 (273) Lucil. 2 (378) Hor. 8 [4]) (264) Pers. 4 (162) Iuv. 30 (127).

a $\overline{SA}$ s	Enn. 2	Lucil. 2	Hor. 7	Pers. 4	Iuv. 28
a S-A s	„ —	„ —	„ 1	„ —	„ 2

Enn. ann. 9V 599M (ex coniectura O. Muelleri), 372V 406M — Lucil. 870L XXX 105M, 969L XXX 64M (locus prior ex emendatione Lachmanni).

---

1) si cuius generis pauca tantum extant exempla, haec ipsa enotabo.

2) de l. d. 983L XXX 131M conf. pg. 13 adn. 2.

3) loci Enniani qui inter se sunt similes *(caelum [suspexit] stellis fulgentibus aptum* bis et *hinc nox processit stellis ardentibus apta)* nescio an omnes removendi sint cum *stellis fulgentibus (ardentibus) aptum (apta)* verba plane appositionis instar obtineant. ex usu Homerico prae aliis poetis Ennius adamavit apposita velut 65V 72M, 71V 57M, 337V 355M, 424V 489M.

4) Hor. I 4 49 sq. *(pater) saevit quod meretrice nepos insanus amica Filius uxorem grandi cum dote recuset* exemplis a SA s figurae adscripsi; ordo verborum plane vetat *nepos* tamquam adiectivum *filius* voci adiungi (cum Fritzschio, Des Horatius Sermonen. Leipzig 1875 ad h. l.), sed ad substantivum *nepos* spectat *insanus* adiectivum totaque sententia *meretrice nepos insanus amica* apposita est *filius* voci.

s AS a substantivo quod cum adiectivo suo inmittitur, adiectivum praemittitur, alteri postponitur: Iuv. 3 179 *sufficiunt tunicae summis aedilibus albae.* Enn. — Lucil. 1 (756) Hor. 1 (2113) Pers. — Iuv. 7 (548).

s $\overline{AS}$ a	Enn. —	Lucil. 1	Hor. —	Pers. —	Iuv. 7
s A-S a	„ —	„ —	„ 1	„ —	„ —

Lucil. 108L III 46M — Hor. I 1 45 — Iuv. 2 93, 3 179, 6 30, 10 63 130, 13 134, 14 135.

a A s S similia

inter alterum substantivum et adiectivum vel solum alterum substantivum vel solum alterum adiectivum intericitur:

Enn. — Lucil. 6 (126) Hor. 33 (64) Pers. 7 (93) Iuv. 100 (38).

aAsS adiectiva substantivis antecedunt: Lucil. 517L XX 1M *purpureo tersit tum latas gausape mensas.* Enn. — Lucil. 3 (252) Hor. 23 (92) Pers. 6 (108) Iuv. 78 (49).

Enn.: loci dubii sunt v. ann. 401V (433M) et 534V 556M — Lucil. 220L VI 33M, 517L XX 1M, 897L XXX 1M; l. d. inc. 118M (1181 m L) — Hor. I 1 28, 8 16, II 1 66, 8 78 — Pers. 2 74, 3 40 45 56 102, 5 47 — Iuv. 1 8, 10 116, 15 128.

sSaA adiectiva substantivis postponuntur: Hor. II 7 118 *accedes opera agro nona Sabino.* Enn. — Lucil. 3 (252) Hor. 1 (2113) Pers. — Iuv. 3 (1279).

Lucil. 350L XI 27M, 361L XI 8M, 442L XV 4M — Horatii locum supra attuli; I 10 23 seclusi (*concinnus* locum tenet sententiae condicionalis) — Iuv. 2 96, 13 180, 15 111.

a S s A substantivo quod cum adiectivo suo alterum substantivum includit, adiectivum praemittitur; adiectivum substantivi inmissi post additur: Iuv. 8 253 *nobilis ornatur lauro collega secunda.* Enn. — Lucil. — Hor. 6 (352) Pers. — Iuv. 8 (480).

Hor. I 1 53, 2 74, 3 25, II 3 154, 4 51, 6 103 — Iuv. 2 150, 3 58, 8 253, 10 19 111 158, 11 74, 14 257. conf. Lucil. XIV 3M (1168L).

sAaS substantivo quod cum adiectivo suo alterum adiectivum claudit, adiectivum postponitur; substantivum adiectivi

interpositi pono sequitur: Pers. 6 76 sq. *nec sit praestantior alter Cappadocas rigida pinguis plausisse catasta.* Enn. — Lucil. — Hor. 3 (704) Pers. 1 (650) Iuv. 11 (349).

Hor. I 5 30, II 2 101 112 — Pers. l. m. — Juv. 1 41, 3 33 108, 8 115 145, 9 53, 10 274, 13 45 106, 15 4 146.

hactenus de binis substantivis adiectivisque per singulos versus distributis. iam inspiciendum est quo modo poetae **tria substantiva adiectivaque** uno versu comprehendant. hic quoque et simplex et artificiosus verborum ordo discerni potest. interdum enim quodque substantivum cum adiectivo suo videmus seorsum a ceteris positum:

as AS *AS* similia [1])

Enn. ann. 280 V 532 M *Marsa manus, Paeligna cohors, Vestina virum vis.* Enn. 2 (273) Lucil. 1 (756) Hor. 2 (1057) Pers. 1 (650) Iuv. —.

formae huius generis apud poetas nostros sunt hae: Enn. ann. a-s $\overline{\mathrm{AS}}$ $\overline{AS}$ (183 V [179 M aliter]) et $\overline{\mathrm{as}}$ $\overline{\mathrm{A}}\mathrm{s}$ *A-S* (280 V 532 M) — Lucil. $\overline{\mathrm{as}}$ $\overline{\mathrm{SA}}$ $\overline{AS}$ (302 L [IX 40 M aliter]) — Hor. bis a-s $\overline{\mathrm{AS}}$ $\overline{SA}$ (I 5 14, II 8 88) — Pers. $\overline{\mathrm{sa}}$ $\overline{\mathrm{SA}}$ $\overline{AS}$ (6 28).

quae autem ut artificiosa exempla agnoscenda sunt, uno loco excepto omnia similia sunt: unum substantivum cum adiectivo suo separatum in versu collocatur, cetera autem duo substantiva adiectivaque artificiose ita inter se conectuntur ut alterum substantivum et adiectivum inter par alterum interponatur:

as A *AS* S similia [1])

Iuv. 14 15 *mitem animum et mores modicis erroribus aequos (Praecipit...Rutilus).* Enn. — Lucil. 1 (756) Hor. — Pers. — Iuv. 9 (426).

---

1) quae monui supra pg. 18 adn. 1, pertinent etiam ad hoc collocandi genus.

Lucil. a$\overline{\mathrm{AS}}$s$\overline{AS}$ (XXX 8 M[1]) [925 L]) — Iuv. $\overline{AS}$a$\overline{\mathrm{AS}}$s (11 123), $\overline{AS}$a A-S s (3 309), $\overline{AS}$a$\overline{\mathrm{SA}}$s (11 96), $\overline{AS}$ s$\overline{\mathrm{AS}}$a (l. m), *A-S* s$\overline{\mathrm{AS}}$a (7 103), $\overline{SA}$ a$\overline{\mathrm{AS}}$s (15 154), $\overline{SA}$ s$\overline{\mathrm{AS}}$a (13 116), $\overline{SA}$ s$\overline{\mathrm{SA}}$a (9 10); de v. 8 157 vide infra.

locis Iuvenalianis accedit 6 319 nonus et ut iam dixi diversus (unum substantivum eiusque adiectivum claudit cetera duo substantiva adiectivaque seorsum collocata) a$\overline{\mathrm{SA}}$ $\overline{SA}$s *(quantus) Ille meri veteris per crura madentia torrens.* — de loco Enn. ann. 177 V 175 M *(quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen)* conf. quae disputavi pg. 9 sqq., pg. 13.

habes Ennii et satiricorum usum in binis vel ternis substantivis adiectivisque collocandis distribuendisque per singulos versus. sed priusquam ad alia transimus, paulum subsistendum est. nam praeter locos iam allatos similes extant quos tamen illis non licet adnumerare. poetae enim haud paucis locis substantivum (adiectivum) cui duo adhaerent adiectiva (substantiva) ita per duos versus digerunt ut alteri versui singulare adiectivum (substantivum) tribuant, in altero autem quae restant substantivum et adiectivum ordinent; ad quod substantivum adiectivumque si alterum accedit substantivum adiectivumque, in altero versu figurae de quibus egimus existunt ut Iuv. 3 150 sq. *crassum Atque recens linum ostendit non una cicatrix* a|as AS. eadem res est si poetae cum substantivo adiectivoque quae distribuunt per duos versus, artificiose conectunt alterum substantivum adiectivumque in altero tantum versu collocatum (conf. pg. 26 sq.) eique aliud substantivum et adiectivum addunt in eodem versu e. g. Iuv. 14 146 sq. *nocte boves macri lassoque famelica collo Iumenta (ad virides...mittentur aristas)* *SA* aAs|S. talia

1) Mueller (conf. comm.) hoc loco *(quantas quoque modo erumnas quantosque labores Exanclaris) quo modo* significare censet 'qua ratione'; sed cum plane singulare sit substantivum cum adiectivo suo includi ab altero substantivo et adiectivo quibus adiungitur, malim explicare *quoque modo* locum habere unius notionis quae sit quasi adiectivum *erumnas* substantivi, 'qualescunque' vel 'cuicuimodi'.

exempla apparet nec cum locis supra prolatis licere componi nec plane praetermitti; qua re quae adsint huius modi figurae apud poetas, hic breviter expono; in numeris autem non adhibeo figuras ipsas, sed earum partes tantum quantum quoque loco debeo. Enn. as SA — Lucil. sa AS; sa SA, sa S-A — Hor. as A-S; a-s SA bis — Pers. a-s A-S — Iuv. as AS quinquies, as A-S, a-s AS; sa SA bis; as SA (quattuor locis inter quos est 13 174)[1], as S-A, a-s SA; sa AS, sa A-S bis. Iuv. aASs bis (14 128, 15 32)[1], aA-Ss (7 167); aSAs (12 88). apud Enn. Lucil. Hor. Pers. exempla non adsunt. Hor. aAsS (I 2 70) — Iuv. aAsS (7 76) — Enn. Lucil. Pers. non habent exempla. Iuvenalis solus habet *AS*aAsS (7 161).

ad alia venimus. adhuc disputavimus de singulis substantivis adiectivisque collocatis in singulis versibus; nunc propositum est tractare qua ratione poetae illa substantiva adiectivaque per duos distribuerint versus (*Ciceroni nemo ducentos Nunc dederit nummos*), ac primum quidem per duos versus continuos, deinde per duos versus tertio versu divisos. in quaque autem parte ut ante progredimur: considerabimus quo modo poetae per versus ordinent unum substantivum adiectivumque et duo, quoque modo et simplicem et artificiosam collocationem exhibeant.

a|s vel s|a[2])

unum substantivum adiectivumque per duos deinceps versus disponitur:

Enn. 15 (36,4)[3]) Lucil. 24 (31,5) Hor. 175 (12,07) Pers. 36 (18) Iuv. 324 (11,23).

---

1) Iuv. v. 13 174 et 15 32 addidi ut huius modi figuras omnes haberes uno loco (conf. pg. 28).

2) in commemorandis locis huius collocationis ubique solum versum priorem ponam.

3) propria veraque summa hexametrorum Ennii et Lucilii maior est quam numeri supra (pag. 16 adn. 2) commemorati quod attinet ad substantiva adiectivaque per duos versus distributa. his enim substantivis

a|s Enn. ann. 82V 77M *Remus...secundam Solus avem servat.* Enn. 12 (45,5)[1]) Lucil. 16 (47,3)[2]) Hor. 142 (14,17) Pers. 28 (23) Iuv. 264 (14,53).

s|a Lucil. 477L XVII 13M *in usura omnia ponit Non magna.* Enn. 3 (182) Lucil. 8 (95)[3]) Hor. 33 (64,03) Pers. 8 (81) Iuv. 60 (63,95).

---

adiectivisque cum tantum fines priorum et initia posteriorum versuum in rationem induci oporteat, tamquam plenum versum computare licet fragmentum quod sit hemistichium idque sententiae absolutae velut Enn. ann. 6V 5M...*visus Homerus adesse poeta*, Lucil. 227L VI 5M...*ipsum quid facere optes*, Enn. ann. 185V 182M *intus in occulto mussabant*... Ennii versuum summa hac ratione efficitur 844, Lucilii 1121; quas tamen non adhibui cum numeri priores satis doceant quantum intersit in hoc sermone inter Ennium Lucilium et poetas inferiores.

1) in calculis posui etiam Ennii 491V 569M *tonsillas rapiunt configunt litus aduncas*; nam cum versu qui sequebatur excidit substantivum ad quod *aduncas* adiectivum spectat (*aduncis dentibus* M). — 541 V 608 M *tanto sublatae sunt augmine tunc lapides* verba disposuit M. per unum versum, V. per duos; Muellero adstipulor, numerum enim exemplorum collocationis rarioris nolo augeri.

2) numeris adposui 1025L inc. 145M quamquam versus minime ex omni inc. parte sunt expediti.

huc rettuli 1062cL VI 13M *uno oculo pedibusque duobus dimidiatus Ut porcus*; quae verba optume rebus ipsis conveniunt, mutavit Mueller (*p. d. dimidiateis*), non intellego qua re.

3) ll. dd. 902L XXIX 87M et 1105L III 34M. — 176L V 24M *scutam* (*scutulam li* M) *Ligneolam in cerebro infixit*, *scutam ligneolam* verba s̄ā figurae exemplis adscripsi quia minime constat poetam verba in duos versus discerpsisse. — 934L XXX 56 M *cuius voltu ac facie ludo ac sermonibus nostris Virginis hoc pretium atque hunc reddebamus honorem* conecti solent *cuius* et *virginis*. sed nihil obstare censeo quominus *cuius* dicamus sui iuris esse, *virginis* autem *hoc pretium atque hunc honorem* valere hoc: 'pretium et honor quae virgini debentur'. quae interpretatio eo facilius probatur quod versus nimis duram prae se ferunt verborum collocationem si *virginis* et ab adiectivo suo et a substantivo regente interpositis *ludo ac sermonibus nostris* verbis adventiciis statuimus esse divulsum. accedit quod in verbis per duos versus distribuendis Lucilius tantum abest ut huius collocationis artificiosae (qua duo versus a substantivo eiusque adiectivo initium faciant) protulerit exemplum aut alterum aut simile, ut plane simplicem se praebeat et attenuatum.

Enn. ann. 251V 307M, 332V 377M, 578V 503M — Lucil. 21L I 34M, 345L XI 4M, 456L XVI 15M — Hor. I 2 78, 9 51, II 2 9, 7 72 — Pers. 1 50 52, 5 161, 6 48 — Iuv. 4 99, 7 186, 10 335, 13 232.

